DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIV. MARTII.

M. IOANNE FORESTIER Doctore Medico, Moderatore.

An Pisces Carnibus salubriores? 1118.

VIVENTIBVS cunctis ad vitæ fomitem Alimenti necessitas prima. Hoc sine ἑπταήμερος homo illam nequit vltra producere: quinimò ne momento quidem durare quæ de suo hibernis mensibus victitant τὰ φωλεύοντα. Id scilicet obnoxiæ conditionis tulit caduca indoles naturæ elementaris & misturæ, quæ tam iusto ad vitam commensu intestinis odiis inuicem commissa prima corpora ad æternitatem conciliare, gentilemue ἀρχεγόνου huius naturæ operum λειτουργοῦ extinguere caloris auiditatem non potuit, cui, quanquam mori fatale, nihilosecius debent nusquam non restibiles vitæ fundi, quod non occidant, quodque partibus etiam vltimis diutiùs regnet valetudinis integer & pertinax vigor: communi licet de cætero ἀδεχσέιας lege nexis nobis ac reliquis viuentium eueniat, vt idem qui nos genuit perimat. Si ergo tuarum te rerum cura sollicitat, diemque diffindere vltimum studes, quando tibi prostat & patet exposita vbique terrarum annona, rerum age consultiùs vtendarum delectum queis commoda possis admouere ventris focula, quæ vitæ focum alant non præfocent vel extinguant, non excitent luculentiorem: abundè illis est, si damna minore intertrimentô sarciant, cùm nequeant ex æquo.

DVO maximè in salubris alimenti rationem cadunt ὄγκος καὶ δύναμις. Molem ille seu ὁ πλῆθος quod obserues importat, simulque corporis alendo vtilis substantiam. Facultas vires huius & qualitates designat tum principes, cùm principum tribules & consectarias. Ab his modò, quod salubre audiat, obtinuit alimentum: Tale id quidem vbi nec copia, quod exhaustum est, superat, neque redimendâ aliàs inopiâ fraudat ac depauperat genium partium, quamuis hâc illa potior innocentiorque in sanis, quæ ægris inimicior: vbi gratiâ præsentariâ alibilis adest substantiæ familiaritas, quæ quod dilapidauit & decoxit vis nusquam otiosa insiti caloris protinus reponat & instauret: quæ minùs faciat in coquendo negotij, morarum in distribuendo, vacet excrementis, ac solida tandem iura votiuæ adoptionis, similitudine & vnione fœliciùs impleat. Alimenti vires eò spectare debent, vt alendarum partium, ex lex illa si non extiterit, tueantur ὁμοιώσεως accessione naturam & modum, dominæ qualitatis intemperias frænent ac in rectum componant: hinc, si quando homini sano, causario, ægro meliùs consultum velis, optima de isto penu illi sæpiùs depromenda, his semper in alimento non vno Medicina quæ naturam absoluet vitæ peccatis, pristinæ reddet integritati moderationique.

QVAMOBREM vel hôc vnô sors vitæ melior stirpes beat, quas naturæ diuina lex alimenti errore & pœna vt liberaret almæ parenti alligauit: Ita nempè frugalis & æquus iis semper adstat inexhausti peni procurator, adeóque fidelis & diligens prægustator inditus, vt simile protinus integro illius beneficio, in quo tantùm nobis operæ relictum est, alimentum singulæ inueniant non faciant, ex æquo vna plantis καὶ ἀνάγκην pro morbo & fato αἰῶνος: vagis verò & omniuoris animantibus dubio ac peregrino victu non vno modo grauis subit vita exercenda morborum querelis: vni præ aliis homini grauior, præsente iniuria κρεοφαγίας: cui vnicè imprudens dum indulget omnium ipse ἐνωμάταλος, nescit sui oblitus, modum ponere vitæ ac securæ habitudini. Carnes si quidem animalium ni gulæ parasitari & de tuo illi facere sit prius; siue de extis viscerumue aut glandulosarum partium coagmentis quæsitæ, siue de lacertorum toris, æstuosæ pariter ac febriculosæ, his licet quàm illis succus purgatior, quô calidiores humidioresque, hôc concipiendæ communicandæque putredini paratiores, atque ex his præcipuè altilium præ agrestibus & villaticis, quam labem purior integriorque pecori volatili quàm gregi pedestrium sanguis in se se de facili magis quum admittit, suspice quàm breuibus momentis ad sanitatem nutritij humoris stet integritas, laboret nec optanda cuiquam copia, & exinde quæ cibos valentissimos stabilimentaque ventris ferè sequatur vectigalis Libitinæ ἄμπολις; quæ impotente æstu sanguinis naturæ opes sic vertat in noxam aut malè perdat analectorum inquinamentis.

QVANTO hygiæ studiis propitia magis accedit veterum sapientissimis acceptior ἰχθυοφαγίη: valere idcirco iubeas cum Pythagora & Xenocrate Ægyptiorum nationem omnem, Iudæum apellam abdica conuictu, cui Pisces δικαιότατον κρέας attingere piaculum, Alexandrique nil veritus interdictum adde te Ichthyophagorum genti: caue sis tantùm pisce vescaris crudo, arido solibus, fumo tabido, sale durato, muria condito: nequam omnis nisi recens, eò salubriùs suauiusque ἀσπάζειν quàm audito tintinnabulo protinus in cibum redemisse. Sacer nullus esto nisi de moilium, σελαχίων aut testaceorum tribu, qui exosses pinnis vel squamarum imbrice carent: sunto etiam rejiculi quos dolabra piscatum eunt Cares pari cum venenis maleficio: in cæteris pro locorum indole & victu auctione vincit addicenda dos bonitatis. Lacustribus & paludosis præstant fluuiatiles, his contra aquam nando meantibus succus numeris omnibus elaboratior, fluuiatilibus marini. Principes ex his saxatiles, secundas iure sibi optimo vendicant pelagij fluctibus exercitatiores, ab his littorales: sua quoque perfugis & erronibus anadromis, catadromis nec desit gratia, sed his multò quàm illis minor. Est quoque in partibus piscium quô salubrioris alimoniæ facias optionem: leuissimi namque alimenti τὰ ὑπογάστρια, superæ partes, quia sicciores habitioresque, constantioris nec non valentioris; at castigati in tantum succi naturæque suæ prærogatiua plane ἀρπαλιμάτις præsertim saxatiles & pelagij, vt salubritatis meritissimo titulo præferendi debeant sanis apponi nec ægris interdici.

VIS te sano saniorem, repudiatis animalium carnibus pisces esse te conuenit. Inoffenso cursu viuaciorum æuum ab omni ægritudine & peste immunes æquant illi, superant fœcunditatem: at succi præstantiâ si conferas cæteris præeunt. Animantium carnibus fibrarum villorumque nexus contextusque arctior, ægrâ discessione disparari dissoluique nescia compages, firmis inuicta dentibus, nedum stomacho benè valenti, ni putris moræ maceratam rudimentis, operi facilem apparaueris. Piscium verò nihil operosi sustinet, quæ de facili eliquatur in chylum tenerâ mollitudine friabilis substantia: hinc maturioris coctionis integritas, ἀναδόσεως commoditas expeditior, sincerior, purgatiorque succus, nutricatus fœlicior: illinc aduersa omnia meritò experiaris, aut metuas ingestis carnibus studio remeandi permolestum ventriculo τὸ ἀναπαλυσικὸν, ἐπιπολασικὸν quod infesto ructu acido τοῖς καλακορέσι insolito, vel nidorulento os spurcetur, continuos corruptæ vel interceptæ annonæ labores, venturaque longo ordine pejus saburrati ventris mala, quibus etiam superatis voto tibi tuo laborandum, quò athleticam εὐεξίαν soluas compendio, quàm iusto seueroque victu vti ne fieret aut in noxam cresceret satius fuerat prouidisse. Sic demum maturè putanda dabitur isthæc articulatio gulæ lasciuientis, otiosæ πολυαιμίας arcessere præsentaneum discrimen, commodum vnà veniet bonitate incorruptioris succi comprimendus ardor vitalis flammæ suum in elementum nitentis, & ad naturæ modum, qui sanitatis est limes, temperandus.

Ergo Pisces Carnibus salubriores.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS ROBIN Parisinus A. R. S. H. M. DC. LXI.